ORATIO HABITA

IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA

DIE XIX MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCXXVI.

AB EJUS MODERATORE

COSMA MARIA DE HORATIIS

CLINICES CHIRURGICAE PROFESSORE

REGNI UTRIUSQUE SICILIAE SERENISSIMI REGIS

FRANCISCI I.

MEDICO ET CHIRURGO CUBICULARIO

NEAPOLI

TYPIS OBSERVATORIS MEDICI

1826

Tanta, mihi apud vos, Auditores, et socii ornatissimi, auspicatissimo hoc die, quo Academiam nostram beat atque exhilarat, eius vere decus, et ornamentum, praeclarissimus vir, atque Professor, novus Italicus Hippocrates Iacobus Thomasinius, verba habituro de diversis Medicae Artis instaurationibus, ac de illa praesertim, in qua nova reperta est agentium series, quae non incitando, sed controstimulando agunt, tanta inquam rerum dicendarum materies obiicitur, tanta diversarum observationum seges oboritur, ut ancipiti cogitatione haerere animus, neque unde ordienda oratio mea, neque ubi terminanda sit, exploratum satis habere videatur. Et revera quis unquam quavis mente, quovis ingenio praeditus, quibusvis Medicae Artis praeceptis pollens, coram spectatissimo isto consessu dicturus non fluctuaret, haereret, atque deficeret? Deus immortalis! quid per me esset agendum, nisi tanti Viri, ac spectatissimi Professoris conspectus, mihi animum viresque adderet? Video enim in hoc eruditissimorum virorum coetu mihi dicere aequo numine obtigisse. Hac itaque spe confirmatus, atque non parum erectus ad propositas observationes enucleandas, et ad

mea peracta experimenta judicio vestro subiicienda, jam venio; quas demonstrationes, Artisque Medicae doctrinas dum cursim expediam, confido vos parvi mihi temporis usuram minime pro vestra humanitate denegaturos.

Tot inter, ac tam diversas instaurationes, quas Medicinalis Ars viginti abhinc saeculis passa est, principem, ni fallor, locum obtinent, atque in Medicinae historia clariorem tres, quae proximis anteactis temporibus prodiere; Brounianismus, Contro-stimulantismus, et Homoeopathismus.

Non mihi mens est de primo vobis verba facere, nam nihil aliud agerem, nisi res plane tritas, quas optime nostis, quaeque artis medicae tironibus quotidie in schola medica proponuntur, iterare; hoc unum vobis significabo, praestantissimo *Brounio* de vitae organicae inhaerentium elementorum notitiam debere nos; is enim primus de ejusdem existendi modo disseruit, per incitantes *seu stimulos* scilicet, et vim organicam, quam *excitabilitatem* voluit nuncupari, vim in solis organicis corporibus ab ipso perspectam.

Duos dein incitantes distinxit in plus nempe, et minus, inque his duobus totam morbi vim sitam esse dixit, sanitatem vero in statu medio poni, idest stimulorum normalium actione.

Actione stimulorum maxime adaucta incitamenti infirmitas oritur; a vi vero incitantium in minus, oritur contra languoris infirmitas, ab

ipso dicta morbus *Asthenicus*, quam *Hypostheniam seu hyposthenicum* morbum per me libuit nominare.

Ex dictis apparet, Brounii sententia suorumque fautorum nihil esse quod excitans non sit, modo tamen supra expresso. Si ergo agentes omnes, cujuscumque modi sint, incitando agunt in magis et minus, sequitur inde ut cum sint effectus semper causis convenientes, reagendo, habendae essent semper affectiones adaucti incitamenti, servata stimuli proportione, et nunquam deficientis incitamenti morbi, habitis stimulantibus in minus: et hac de causa Brounianae Philosophiae error deprehenditur, cujus Auctor asseruit, statuitque ex centum infirmitatibus, nonagintanovem Hyposthenicas esse, et vix unam Hypersthenicam.

Datum vero erat *Genuensis* contagii Scriptori, novaeque medicae - Italicae scientiae Auctori, errorem detegere, nunquam remittendum Brounio suis fictis incitantibus in minus. Hi clarissimi viri summo ingenio, summaque eruditione praediti, quibus Italia nostra refulget, et hos inter, spectatissimus, omniumque saeculorum laude dignus Professor Iacobus Thomasinius, decus vere et ornamentum Academiae nostrae, quem jure meritoque ut Italicum Hippocratem, Artisque medicae instauratorem veneror; hi inquam, vetere repulso errore, in medium proferentes, non simplicis contemplationis, sed. rectae experientiae

illustria facta, novam nacti sunt agentium seriem qui non incitando agunt, modo tamen stimulanti opposito nempe contra stimulando.

Aperte fateor Auditores me decem circiter annos, nempe usque ad annum millesimum octingentesimum, toto animo, totisque viribus Brounianae sententiae favisse, sed quum postea Archigymnasium Ticinense quatuor fere annos crebro adiissem, ibi partim Genuense contagium contemplando, ejusque scriptorem saepius perlegendo, partim Clinicis observationibus studiose adstando, excellentium atque illustrium Professorum, Raggii et Bordae, aequo, libentique animo novae instaurationi medicae acquievi, ejusque acerrimus fautor ac propugnator extiti, ac talem adhuc me esse aperte profiteor.

Cum vero Neapolim rediissem florentissimam urbem, ac praestantissimorum hominum feracissimam, perutile, atque necessarium duxi, has novas medicas doctrinas Clinicis observationibus accommodatas, Amicis, Praeceptoribus, atque permultis auditoribus meis significare. Hinc mihi prima mali labes. Hinc omnes pene medicinae cultores in me irruerunt; quumque ab illis maximas gratias, gratique animi significationes pro tam singulari beneficio expectarem, et ab eruditissimis in arte patrocinium ac tutelam, mihi vexationes, et impedimenta parantur; nil vero me a sententia valuit removere, quin etiam fortis et

constans haud pericula metuens, mearum lectionum et observationum, facile, opus aggredior.

Videns tandem adversarios ab impugnationibus minime desistentes meum nomen, meamque aestimationem quotidie discerpere, quamvis mirabiles effectus in Clinicis observationibus haberentur, statui, publica experimenta in vivis animantibus peragenda, et ob eorum oculos ponere veritatem, sperans sic me ab eis errores depulsurum eosque in veram sententiam adducturum.

Et revera omnium Professorum medicae Artis, juvenumque medicorum coetu convocato in amplo huius Xenodochii Amphitheatro, praesidentibus praeclarissimis Viris ac Equitibus Dominico Cotunnio et Antonio Sementinio, de medicina benemerentissimis, quorum primus jure meritoque nomine Nestoris Neapolitanae medicinae salutatus fuit, ambo spectatissimi et posterorum memoria celebrandi, optatum opus aggredior. Canes et Cuniculos ad opus elegi.

EXPERIMENTUM I.

Duos Cuniculos tractandos proposui, primus solutione incitante, alter controstimulante, ut sic experirer in utroque phaenomenorum cursum et rationem, quorum morte sequuta, facile mihi esset morbi mutationes perscrutari, quae ipsis accidissent.

Rebus sic dispositis, primo Opii solutionem in aqua praebui (1), quo in Anatomica Sectionis tabula relicto, quinto vel sexto horae momento, oculi nimio sunt rubore affecti, specie quadam feritatis redundantes, dum erat totius corporis summa vivacitas; at paucis interjectis momentis, vehementibus contractionibus membrorum, Colli, et vertebrarum musculi, incurvantur; tandem cunctis Tetani symptomatibus pressus cuniculus moritur, ejusque membra irrigent.

Quo dissecto, summa, ac perspicaci Anatomica diligentia, Pulmonum, Ventriculi, et Intestinorum vasa, multo sanguine repleta, reperta sunt, ac si ardentia essent et inflammata.

Alteri Cuniculo parem aquae quantitatem bene coobatae Lauri Cerasi porrexi; quumque omnes animum observationibus intenderent, statim animal se erexit, spumam ex ore ostendens, ac paulo post incerto gressu moveri visum est; ac tremulum, et fluctuans saepius prosternebatur, ac tremulis motibus se erigebat. Tandem generali nervorum resolutione, seu Paralysi pressum, in Tabula distenditur, moriturque. Cum ibi remansisset octo circiter horae momentis, ut dignósci facile posset, an illius membra et musculi irriguis-

(1) Nempe grana duodecim Opii in duabus aquae unciis soluta.

sent, summa adstantium admiratione, molle ac flexibile extitit.

Dissecto Cuniculo, Pulmones flaccidi inventi sunt, et absque aliqua rubri coloris tinctura. Integer erat stomachus, ac tantum modica spuma in ejus cavitate reperta fuit. Intestina, ac viscera adjacentia erant intacta.

Ex his duobus experimentis rite perspectis, quis est Artis Medicae Doctor, qui non agnoscat in hisce duobus Pharmacis diversam agendi rationem? In primo, Tetanus, internae inflammationi conjunctus; in secundo nervorum resolutio seu Paralysis, integris permanentibus interioribus organis; incitantes igitur stimulant, et inflammationem gignunt; controstimulantes vero stimulorum effectus minime afferunt, tam in symptomatum specie, quam in intimis affectionibus.

EXPERIMENTUM II.

Hoc experimento conatus sum, controstimulanti substantia, omnes morbi effectus ab actione alicuius incitantis ortos, delere.

Ad opus elegi Canem, et Cuniculum, praebens primo tria parva cochlearia ejusdem Opii solutionis; unum autem, Cuniculo. Quod ad Canem attinet, paucis post momentis ab hausta solutione, oculi rubuere, inquieta quadam artuum

agitatione, quae statim in Tetanicas contractiones descivit. Hoc affectionis gradu cognito, eidem parvum cochlear aquae coobatae lactescentis Lauri-Cerasi, administravi, quod per gradus convulsivas contractiones amovit, et dimidiae horae spatio, Canis integer, ac in pristino sanitati statu apparuit. Id ipsum cum Cuniculo egi; in Tetani apparitione, qui etiam octavo horae momento integer visus est, ac si numquam Tetani stpparatu correptus fuisset. Ambo dein in Cubiculo quodam positi sunt, ut facile mihi esset rerum cursum discernere, post habitum experimentum.

Haec duo experimenta satis superque significarunt abolitionem effectuum morbi ab incitante, opposita substantia Contro-stimulanti.

EXPERIMENTUM III.

Hoc demonstrat, morbosos validi controstimulantis effectus deleri, ac superari a quavis incitanti potentia.

Canis iterum fortis, ac validus, et alter Cuniculus fuerunt a me parati ad opus.

Duo exigua cochlearia aquae coobatae Laur Cerasi primo praebui, unumque secundo. Canis, qui antea incedebat laetus, jucundus, et hilaris, quum ei aqua Lauri Cerasi fuisset praebita, hausta controstimulanti substantia, maestus, languidusque apparuit: inde ad motum incitatus, lan-

guorem ac tremorem vacillationibus conjunctum ostendit, evidenter *paralysin* mox adventuram portendens, quae pro certo evenisset, ni statim ei *cochear* opiatae solutionis praebuissem, qua hausta pauca post momenta, integer ac sanus ut prius apparuit. Eo ipso temporis momento, cognoscens Cuniculo paralysim imminere, illico ei administravi dimidium consueti cochlearis ejusdem Opii solutionis; et is, non secus ac Canis, in pristinum salutis statum devenit; et hi quoque pariter alio loco asservati fuerunt.

EXPERIMENTUM IV.

Duo cuniculi paris perfectae sanitatis ad opus electi sunt. Utrique *fortis* consueta Opii solutio datur sumenda, et ambos pauca post momenta *Tetanus fere aggreditur*. Administratur primo, consueta aqua coobata Lauri Cerasi, secundo vero, pro hac, validam Tartari stibiati solutionem praebui (1); atque universali omnium admiratione, et hi quoque in pristinum valetudinis statum rediere; qui deinceps pariter caute adservati fuerunt.

---

(1) Grana duodecim Tartari stybiati in duabus aquae unciis soluta.

EXPERMENTUM V.

Duos alios Cuniculos perfecte pares ad ultimum experimentum elegi. Quorum primo aquam coobatam Lauri Cerasi praebui, et secundo duo cochlearia solutionis Tartari stibiati.

Primo consului, ei administrando dimidium consueti cochlearis Laudani liquidi. Cognito in altero, post quartum quadrantem horae, eodem morbi apparatu, cum manifesta paralysi, nolui ei Opii solutionem praebere, sed pro hac, eum reficere curavi Ammoniacis vaporibus, saepius naribus admotis. Putabam hac morbi vi Cuniculum moriturum, summa animi mei laetitia, paullatim vires recepit, ita ut post horae dimidium, velox greditur ut summa aviditate lactuca parata vescatur, integras corporis vires revocat, et post quindecim dies, aliis conjunctus animantibus, incolumis ad nova experimenta adhibetur.

Praestantissimus Vir Antonius Sementinius de Medicina benemerentissimus, postquam summa diligentia cuncta perspexisset, et mirabiles effectus ex dictis experimentis sequutos, animo gestiente, laudasset, sic est loquutus. « Permultas utiles, ac laudabiles veritates ad medicinam spectantes, hujusmodi experimenta complectuntur, ideoque haud decet, Medicum temere et inconsiderate judicare ».

Egregius interim Doctor Dominus Vincentius Stellati, qui omnibus hisce experimentis, quae nullum dubitandi locum reliquerant, quum adfuisset, alia experimenta his contraria, in vivis animantibus quoque peragenda instituere excogitavit, animo reputans sibi facile futurum demonstrari, quod praesertim laudatos controstimulantes nihil aliud sint, nisi incitantes, unumque possit ab alio destrui et deleri. Quum vero hujusmodi experimenta, illustris Professor, praeclarissimae Neapolitanae Academiae (1), (quae summis ingeniis, ad optima quaeque excogitanda, vires et animum addit) utpote ejusdem socius, exhibuisset; eadem statuit, ut Classis Medicae Socii, in praedictam Academiam die constituta convenirent, ibique praedicti Socii Doctoris Stellati experimentis adessent.

Quadam autem die Medicae Classis Doctoribus congregatis, praeclarissimis Equitibus, Antonio Sementinio, et Nicolao Andria, illustribus Professoribus Petro Rugerio, Justino Marruncellio, cum Physicæ Professore Antonio Colonna, Doctoris Vincentii Stellati experimenta erant peragenda; de hoc certior factus a quodam meo Auditore, statim ad Academiam veni, clarissimos Socios sum enixe deprecatus, ut mihi liceret istis novis experimen-

(1) *Ea dicitur* D' Incoraggiamento

tis adesse. Administravit revera duobus Cuniculis dictos controstimulantes, alteri scilicet parvum cochlear aquae lauri cerasi, et alteri parem solutionis tartari stybiati quantitatem praebuit, et post horae quadrantem, nullo sese exserente morbi phaenomeno, praebuit primo parvum solutionis tartari stybiati cochlear, et secundo parem aquae Lauri Cerasi dosim; ideoque animalia experimentis subjecta, in eodem pristino statu permanserunt ante et post experimentum. Quibus peractis, laetitia gestiens adversarius, triumphum egisse putabat. Sed contra res erat; nam reagentia pharmaca, quavis medicinali vi, et efficacia carebant; aqua enim Lauri Cerasi primae distillationis usus est, non aqua coobata lactea, et deleteria a me ad opus adhibita; administravit praeterea granum unum tartari stibiati in duodecim aquae unciis solutum, non illam quam ego administravi, nempe grana duodecim Tartari stybiati in duobus aquae unciis soluta.

Hujusmodi Pharmaceutica remedia nullius momenti, Cuniculorum statum naturalem in morbosum haud immutare poterant, ideoque eorum vim impune animantia illa sustinuere. Quandonam in istis experimentis perspectus est Tetanus? Quando Paralysis post suos reagentes? Oportet summa sinceritate uti in rebus naturae perscrutandis, ne fides nobis merito denegetur.

Post haec, meae demonstrationes, meaque

ragumenta ab eo errorem depellere haud valuere; quocirca Medicam Classim sum deprecatus, ut aliis meis experimentis adesset, quæ libenter meis precibus annuens, quadam die a me constituta, voluit, ut clarissimi viri Professoresque Dominus Petrus Rugerius, Iustinus Marruncellius, et Antonius Colonna, istis adessent.

En ad aliud pubblicum experimentum devenio in undem locum ut antea, coram tribus prælaudatis Professoribus, utpote a Medica Classi ad id constitutis; coram plerisque Medicinæ Doctoribus, aliisque permultis juvenibus artis Medicæ tironibus.

Actionem meorum reagentium in primis ostendo, duos primos Cuniculos celeriter necando primum nempe, Opii solutione, et Lauri Cerasi aqua alterum. Dein illa eadem experimenta perficio, quæ supra descripsi, eorumque descriptionem repetere, inutile duco, quæ prospere, feliciterque cessere. Qua rerum novitate perculsis tribus Professoribus ab Academia electis, ac designatis, unus ex illis, Professor nempe Petrus Rugerius e consessu surgens, mihi talia fatur: Vel hæc, vel illa experimenta sunt falsa: At in hisce, medicinalium potentiarum actione, non solum animalium mortem, quæ illis subjecta fuere perspeximus; verum etiam pene obfirmatas infirmitates, profligatas atque deletas, sumus admirati; *ista igitur tantum vera esse fateor.*

Quum se ita res haberet; egregius Doctor Stellati aliqua scripta edidit, quibus suam agendi rationem portendit, et sua experimenta, ac pro certo habeo, mihique persuasum est neminem inter sapientes, expertosqe Medicinae cultores extitisse, qui huic opinioni fidem praestiterit. Ad universos Medicinae canones adpello, qui ubique semper docuere, Venena, Opio parata, nunquam vino, fervidisque liquoribus deleta fuisse, verum Acido Acetico, Ipecacuanha, frigidoque balneo. Me docuit pariter, perturbationes ab Antimonialibus comparatas, activisque Mercurialibus, profligatas fuisse Acidis ac Salibus neutris, sed solummodo usu recte perpenso concitantium tam permanentium, quam diffusibilium.

At ego in hac oppositione Clinicas meas observationes suaviter exequebar, consuetasque lectiones meis auditoribus quotidie placide proponebam; quum nescio quo fato, quadam die mihi obviam venit præclarissimus vir Antonius Sementinius, nunquam satis celebratus ac celebrandus; cumque me sermonem instituens de exposita doctrina, eique accomodatis experimentis, de quibus adhuc lis erat, is me summopere est cohortatus, ut ei manifeste ostenderem vehementis Inflammationis organicae curationem, solo controstimulantium praesidio, absque sanguinis missione, ut de praedicta doctrina, deque experimentis ei accomodatis se facilius redderet certum. Intra unius Mensis spa-

tium ex quo promiseram me ejus voluntati obsequuturum, mihi tertia feria Majoris hebdomadae curandus proponitur Reverendus Dominus Dominicus Gratiosus Ecclesiae Acerranae Canonicus, qui causis pure rheumaticis pressus, detinebatur ab infirmitatis genere, quod inter Practicos *Pneumonitis* appellatur, in qua ipse recte decumbere nesciebat, sed sedens in lecto, in situ verticali manebat; respiratio erat parva atque imperceptibilis; gravis dolor internam pectoris partem opprimens; tussis molesta, ac frequens; Oculi rubei, et ferociam spirantes; genae rubroobscuro colore aspersæ; lingua arida, in cujus medio nigra crusta, cum vehementi siti; calor aestuans; urinae nimis accensae; Febris continua et vehemens; Pulsus exiles, celeres, duri, et reagentes.

Hoc vere tristi, vereque horrendo aegritudinis apparatu, curandum infirmum suscepi; secundo ab infirmitatis susceptae die Quatuor grana Tartari Stibyati in duodecim aquae unciis soluta, identidem ei sumenda præscripsi toto diei spatio, saepius bibendo levissimam *Hydrogalam* saccaro conditam. Visi infirmum sub vesperum, eumque in eodem statu reperi, quo mane fuerat; eamdem tartari stybiati solutionem, noctis spatio sumendam, consuetae levissimae hydrogalae conjunctam ei praescripsi. Postero die primo mane eum invisi, eadem phaenomena morbi, in eodem gradu

esse cognovi, sitim vero non tam ei molestam, ut hesterno die; pro tartari stibiati solutione tunc *drachmam* unam Chermes mineralis in sex partes distributam ei præscripsi, quarum una *singulis* bihoriis ei esset sumenda cum consueta hydrogala, et interim effeci, ut parentes in consilium accirent optimum Professorem Sementinium, qui statim non interfuit, aliis curis distentus; tamen in crastinum hora post meridiem tertia venturum pollicitus est. Iterum vespere visitans infirmum, eum inveni aliquantulum a morbo levatum, cum respiratione haud difficili, et pulsuum arteriis, quæ paulatim expediebantur; eamdem Chermes quantitatem iteravi et hidrogalæ toto noctis spatio. Altero die primo mane eum observavi in *melius procedentem*, somno enim quieverat dorso pulvinari innixo, paucissimis licet momentis, ideoque alacriter et constanter eumdem medendi modum sum prosequutus, ipsam nempe Chermes quantitatem praescribendo.

Hora constituta Professor Sementinius interfuit, et morbo summa diligentia perspecto, talem reperit, qualem ei descripseram. De non adhibita sanguinis missione in hujusmodi infirmitate, verba cum ipso feci; praeterea dixi, me ad aegroti levamen, tartarum stibiatum cum hydrogalae potione praescripsisse; pro tartaro dein Chermes minerale praebuisse, generice medicamina exponendo, eorundem vero quantitates reticendo, de

quibus quum praeclarissimus Professor me interrogasset, nulla interjecta mora ei medicaminum quantitates, quibus usus fueram medendo, laetus, et alacer patefeci.

Quantitatem, potentiamque medicaminum admiratus, eja, inquit, eodem perge modo, nam non omittam singularibus hisce experimentis tecum interesse; easdem Chermes quantitates, eamdemque levissimam hydrogalam, ipsius noctis spatio sumendas praescripsi; et revera quinto ab infirmitate die visitatum ab utroque nostrum, in meliorem valetudinis gradum redditum reperimus: humida lingua erat ac detersa; facilis respiratio ac ampla, minor ad tussim incitatio; genae rubrae, nec obscuri coloris, ut antea; haud molesta, sed tolerabilis sitis; urinae non adeo rubentes; nulla ventris dejectio; haud insomnis ut ante, sed placide somnum carpserat, paucis licet momentis. Arteriae minus durae, et magis expansae. Susceptum medelae modum prosequor; ad vesperum illum adiens haud anxium reperi, nam libere, ac expedite loquebatur, eadem quantitate ei administrata; altero die primo mane eum invisens inveni satis superque viribus depressum, pallenti vultu exiguo madore asperso, respiratione ampla nec interclusa; mollibus arteriis et expansis; Urinas vidi paleares; linguam decolorem et humidam; sed nocte praecedente placido somno aliquot integris horis quieverat. Quibus phaenome-

nis detectis, cognovi, nimiam fuisse, nimisque controstimulantium actionem protractam, ideoque ovi vitellum in aqua calida et saccharo solutum ei sumendum praebui, statimque ad tranquillitatis statum rediit; quod levaminis genus, alternis horis adhibendum proposui; ad vesperum vero, infirmum reperi, licet debilem, levatum tamen, vehementis Pneumonitidis toleratis doloribus. Septimo dein ab infirmitate die, fere convalescentem inveni, nulla prorsus medicina adhibita, nisi solis nutrientibus juribus. Postero die, octavo nempe a morbi invasione, morbus, contro-stimulantium vi perfecte deletus, desiit. Qua bene gesta curatione, egregius ille Professor, meae opinioni de controstimulantium actione acquievit.

De *Petechiali* contagione in magno hujus urbis Xenodochio Trinitatis exorta, anno millesimo octingentesimo decimo secundo, haud loquar, a qua ego solus immunis, ac liber evasi; ibi enim ne unus quidem ex innumeris aegrotantibus qui petechiis infecti, mihi concreditis, fuerant, periit, solo mirabilium antimonialium praesidio, ac balneis leviter tepentibus usu: idque toto aestivi temporis spatio constanter evenit.

Solum de sequenti observatione hic verba faciam, qua evidenter duorum oppositorum agentium actio perspicitur.

Optimus Medicus Dominus Francus Rosati, febrili morbo correptus, qui prima morbi invasio-

ne omnia vehementis *synochae* symptomata monstrabat, sed rei exitus hisce principiis non respondit. Defunctus Doctor Antonius Scudieri ante me vocatus ut adesset aegroto, aemeticum ex decem Ipecacuanhae granis ei dedit, cujus ope plures viscosae lymphae vomitus obtinentur. Dum vespere a nobis visitatus, alter febrilis accessus inventus fuit, multo fervore, gravissimo capitis dolore, rubro vultu, lingua arida ac rubra, urina inflammata, pulsibus duris et reagentibus conjunctus; qua de re communi consensu, urgente nocte, potio citrico-nitrata aegroto data fuit. Postero die febris omnino remissa, aegerque absque ullo madore erat. Doctor Scudieri ei Corticem Peruvianum administrare consulebat, cui obstiti, et contra granum unum Tartari stybiati in sex aquae unciis solutum, per epicrasim, et ante novam febris accessionem sumendum praescripsi, quae iterum circa horam post meridiem supervenit. Vespere autem symptomata erant validissima et praecipue aestus, sitis, agitatio, et anxietas; quapropter Citricae potiones tam simplices, quam nitratae adhibitae fuerunt. Tota nocte multo aestuans, et agitatus fuit. Mane, *petechiis* universim obrutus, febri parum remissa, lingua arida et circa medium nigra, inventus fuit. Tartari stybiati grana duo in sex aquae unciis usque ad novum febris accessum iterantur, qui una cum postremo *petechiarum* incremento lenior, quam vespere praecedenti a nobis perspi-

citur. Denuo eadem tartari stybiati quantitas, potionesque critrico-nitratae ministrantur. Aegrotus minus agitatus aliquid somni carpere potuit. Eadem methodo usus sum. Quintus febris accessus, una cum permagno capitis dolore, *petechiis* valde rubeis, et iisdem symptomatibus supervenit. Tota nocte eadem remedia sunt adhibita, quae fuit praecedenti similis. Sexta die praeter tartarum stybiatum, et solitas refrigerantes potiones, frigidiusculum adhibui balneum, ut in proxima febris invasione, aestus, et capitis dolor temperarentur, quae vere minus aestuans, mitiqui capitis dolori consociata fuit. Nulla in remediis mutatio: nox pacatior advenit. Septima die, mane, praeter praedicta remedia, ei duo *Clysmata* adhibentur, ex quibus paucarum *Scybalarum* evacuatio obtinetur. Novus febris accessus iisdem se prodit symptomatibus, ideoque iisdem usus sum medicamentis. Proximo mane omnino in melius progrediebatur aegrotus, etenim lingua erat humida, nigraque crusta carens; urinae quasi naturales, pulsus non adeo reagentes, *petechiaeque* roseae, neque tam inflammatae. Medelam recte institutam prosequor:

Circa meridiem, et ante octavi accessum ab alio medico visitatus est, qui cum aegroto, suisque propinquis sermonem habens, dixit, elapso primo septenario, morbi adspectum mutatum esse, et idcirco excitantium actionem explorare

opus esse; quapropter mixturam ex aqua melissae, cynnamomo, chinae magisterio, aethere sulphurico, et florum aurantiorum syrupo confectam, cujus quatuor cochlearia duobus vicibus praebita mox fuere, praescripsit. Statim post alteram exhibitionem, octava febris accessio gravior novisque metuendis simptomatibus, idest capitis oppressione, sensuum deperditione, delirio, summaque agitatione, stipata erumpit. Venter meteorizatur, et saepe sepius prodit singultus, *petechiae* rubro-obscurae fiunt; lingua arida, nigraque crusta denuo obtegitur.

Propter novos expeditos incidentes ab ejus vocatus consanguineis mihi in animum inducere, quomodo in octava febri morbi adspectus mutar potuisset, nesciebam; qua de re, quod jam jam evenerat, mihi exposuere. Eum equidem fuissem relicturus, sed amici incolumitas cara prae aliis erat mihi; quamobrem extemplo solutionem quatuor granorum tartari stybiati, cum dimidia drachma nitri in octo aquae unciis permixta, super abdomen nivis cataplasma, et circa secundam noctis horam balneum quidem frigidum, praescripsi. Per haec remedia, ad eum mane adiens, ab elapsis Symptomatibus, restauratum inveni. Itaque eadem valde indicata methodo instamus.

Idem medicus iterum venit, ut aegrotum viseret post meridiem, eventuque a conjunctis

audito, etiam in eadem perseverat opinione: et censet pathologicam conditionem *flogoseos* in aliam debilitatis commutatam esse, temere *muscum*, quoad dosim duodeviginti granorum, in sex pillulas redactum, praescripsit: ut earum, quae a pharmacopola ejus visitationis socio, protinus aegri domum missae sunt, una singulis bihoriis ipsi ministraretur; sed consanguinei tristium symptomatum a praedicta incitanti solutione effectorum memores ei *muscum* afferre noluere, cujus vel solo odore symptomata omnia reviviscunt. Aegrum vespere visens, nono febris accessu laborantem, musci odorem naribus percepi, qui mihi eodem modo quo receptum erat, quemque jussi in latrinam projici, ab ejus conjunctis ostensus fuit; contra jubeo eadem remedia adhiberi tota sequutura nocte; quae minus infesta fuit. Mane febris majorem ostendit remissionem, *petechiae* denuo roseum colorem acquisiverunt, urinaeque prodierunt paleares; atque ab incepta methodo nulla mutatio. Iisdem fere symptomatibus progreditur febris ad decimum tertium usque diem, quo venter magis meteorizatur, ructus, flatusque sequuntur; Capitis dolor acrior factus; Febris vividior pulsibus interrupte intermittentibus. Tartaro Stybiato pulveres Domini Iamesii substitui, cum laevissimo jusculo, balneoque tepido conjunctos, quod per totam noctem, qua aeger multum fuit agitatus, et pervigilio afflictus,

prosecutus sum. Cum febris declinare incepit, ecce repente quamplurimae alvinae dejectiones, atramenti colorem habentes, et faetidissimae, quae febris petechialis solutionem attulerunt, meique aegroti amici incolumitatem reddidere.

In eadem infirmitate eodem fere tempore, Militaris Xenodochii Medicinae Chirurgiaeque Doctores, Domini Rossi, Vinci, Colella, Terrusi, et Trinchera eadem methodo a me pertractati fuere. Solum doctor Borelli ab alio Medico potentioribus incitantibus pressus, undecima febris die extremum subiit fatum.

Post tot denique disputationes, tantasque disceptationes puto causam obtinuisse, ac in judicio superasse, dum omnes medicinae Doctores heic adstantes, nec non qui in hac alma urbe, qui in toto hoc Regno medicorum officio funguntur, omnes inquam, novae Scientiae medicae Italicae se fautores profitentur.

Instauratio tertia ex puro trascendentali Systemate orta Homoeopathia scilicet est, quae summo immortalis Samuelis Hahnemanni ingenio utique debetur, qui mirum quantum de medicina,hominumque salute promeruit. Doctissimus, hic SenexqueMedicus novum perrupit iter quod nemo unquam ab Hippocrate ad nostram usque aetatem tentare ausus est. Omnes pharmaceuticae, nobis cognitae, atque ad curandos morbos adhibitae substantiae, nunquam sano homini fuerunt adhuc admotae,

ut diversae interiores dynamicae vicissitudines observarentur ex therapeutica earum virtute profectae, non minus quam symptomata quae eas comitantur. Hac de causa, ejusmodi medicamina pertentans, cum, ne dum de se ipso, suaque familia periculum fecisset, sed etiam complures annos maximum recte valentium hominum numerum, non ejusdem aetatis, nec sexus, nec temperamenti secum domi habuisset; studuit perscrutari, adcuratiusque observare morbosos effectus ab iis manantes. Itemque quovis in remedio, diuturna, et numquam per plures annos intermissa perquisitione, omnium peculiarium, variorumque Symptomatum summam, quae exquisitas morborum vicissitudines sequuntur, adcuratissime collegit; nobisque hac de re sapientissimum medicarum legum Codicem constituit, quo duce cum in seligendis tum in adhibendis morborum remediis, per salebrosam nostrae Medicae Artis semitam tutissime progredi possemus.

Huic bene auspicato Hahnemani incepto, novum aliquid addere opus erat; et primo ad metam gressui secundus gressus accessit. Ille therapeuticarum substantiarum symptomatum summam, diversorum morborum symptomatum summam sapienter adposuit, simulque comparavit, et de effectibus hinc inde manantibus dijudicavit. In hoc impiger ille prescrutator plurimum adlaboravit, nec novo hoc ausu excidit;

secundaque fortuna semper usus est. Ita abstractae illationes, argumentationum sophismata, et metaphysica medicae facultatis systemata, quae nostris Scholis jamdiu invaluerant, factis, repetitisque observationibus locum cessere. Hinc factum est, ut Hahnemannius pro certo habuerit, interiores morborum affectiones nostrum omnino captum effugere: nosque id tantummodo assequi posse, ut observatis omnibus iis symptomatibus, quae in aliquo palam fiunt, isthaec symptomata expungamus; iisque repulsis, morbi vis penitus expellatur. Vide nunc sis, quibus verbis Hahnemaunius utatur »

» Morbus est quaedam *dynamica* vicissitu-
» do in interiore humani corporis constitutione,
» quae si omnia morbi symptomata persequi ve-
» limus, obscure se nobis exhibet, nosque deci-
» pit, si quando eam adsequuti esse videamur.

Vicissitudines, quae in interiori corporis constitutione fiunt, nostris sensibus minime subjiciuntur: et illae quae sub sensus nostros cadunt, quasque dicimus symptomata, eae sunt, quas morbum dicimus. At quid aliud est, quod Medico subjicitur, quam symptomatum summa? et circum quae Medicorum cura versanda est, ut morbis medeatur.

Sedulus perscrutator modo, veritati favere voluerit, et Metaphysicarum perquisitionum levitatem noverit, quae nullis nituntur experimentis

is profecto quovis in morbo nihil aliud deprehendit, nisi varietatem quamdam, mutationemque in corporis animique sanitate, nostris sensibus expositam: non adspiciet quam signa, accidentia, atque aegrotantium symptomata, valetudinis nempe mutationem, perturbationemque, qua priscae sanitatis status cujusvis e populo labefactatus sit facili negotio cognoverit. Horum omnium adparentium symptomatum collectio, quaevis morbi natura, quaeve vis sit, repraesentat. Utque in quovis morbo sola symptomata nobis occurrunt, ita ab iis tantum remedia indicanda sunt unicuique curationi magis accommodata. Operae praetium est, omnia Symptomata, quae veram interni morbi imaginem quasi in speculo constituunt, unicum censeri objectum, cui Medicus in seligendo remedio sese adcommodare debet, unicum inquam objectum quod cognoscendum, et artis ope ad reddendam sanitatem abolendum est.

Interior invisibilis mutatio, omniaque symptomata simul necessario vinculo, et unitate tanta conjuncta sunt, quae totam morbi extensionem indicant, ut ea se simul monstrare, et evanescere debeant. Quapropter remediorum virtute devictis atque fugatis omnibus symptomatum phaenomenis, interior dynamica mutatio simul deleri et evanescere debet.

Medicamenta autem ut sanitatem restituere possint, permutandi humanae sanitatis conditio-

nem potentia praedita esse debent, et in hac proprietate earum virtus therapeutica consistit, virtus quae in intima eorum substantia dynamice conjuncta invenitur, quaeque a nobis intellectus viribus cognosci non potest, sed experientia solum,

Omnia solum symptomata, quid in morbis destruendum sit ad reddendam sanitatem nobis detegere possunt, quoniam medicamentorum vis therapeutica patefaciendi morbifera symptomata in sanis hominibus proprietatem, facultatemque possidet. Quapropter in morborum curatione ea remedia, *Omoeopathica* lege, sunt investiganda, eligendaque, quae in hominibus bene valentibus symptomata excitent maxima ex parte similia iis quae ad morbum naturalem spectant, excitant scilicet morbum artificialem naturali similem.

Hoc Homoeopathicum principium nos docet in corporibus vivis et organicis, dynamicam debiliorem affectionem, permanente quidem modo, ab alia potentiori deleri, tametsi, quoad suam essentiam ab illa differat, dum est ei valde similis quoad modum, quo manifestatur; sine hac differentia inter duas morbiferas potentias, quoad earum essentiam, utriusque curatio impossibilis evaderet, cum etiam quammaxime suis symptomatibus comparentur, et quamquam altera potentior esset. Hac ratione, tutissimo quoque, diuturnoque modo non solum *physicae* corporis affectiones, sed etiam animi incolumitati restituuntur.

Ornatissimi socii, vos deprecor ne de nova Hahnemani medendi doctrina vestrum judicium festinetis, cum judicia intellectualia, quae experientiam ducem et magistram non habent, semper fallacia esse debeant: et denuo ad ineundam observationis, factorumque semitam vos exhortor, quae a *juvantibus et laedentibus* nobis securum ostendet iter, quod tum propter scientiae cum propter humani generis utilitatem sequi debemus.

Si animo enim vere medico praediti et aequo in curandis morbis experientiae vias explorare exoptatis, et agnoscere, an medicinarum fere imponderabilium actio ad id respondeat, ad impugnanda primum periculosa sanguinis profluvia, praecipueque haemoptysim, quae suis consequentiis aegroto simul ac medico timorem incutiunt, vos hortor. Deinde hanc adhibete methodum ad febres exanthematicas curandas, nec de iis loquor quae adeo benignae naturae sunt, ut sibimet etiam relictae evanescunt, sed de vehementioribus, complicatisque, quae necessario certum, periculosumque stadium sunt percursurae; pariter ad chronicas affectiones, praecipueque *nervosas* eadem via adcedite: atque ita de veritate omnino, atque intime certiores fietis et qua medicorum magna pars involvitur, incredulitatem refelletis. Hisce factis igitur vos animo aucti, suasique da vera dosium infinitesimalium medica-

mentorum actione atque potentia, sine ulla haesitatione gravissimos, periculosissimosque morbos aggredimini.

Quamplurimas equidem curationum observationes, et de perpaucis infelici exitu coronatis hic referre possem, quo, quid adhuc de medica Hannemanni doctrina exposui, comprobarem, ni patientia vestra abuti vererer. De tribus interea hisce ultimis medicae doctrinae instaurationibus loquutus, vobis coram aliquod criticum examen minime afferre ausus sum, cum fautor, propugnatorque essem. Verum in iis tantum immorabor, quae quid discriminis inter eas sit, valeant indicare.

Tam Brounianum, quam Controstimulantium systema id sibi proponit, 1.° ut remediis plus, minusve efficacibus, et generatim sumtis, conditiones pathologicas, diversos multiplicesque morbos comitantes adoriantur, et si fieri possit, destruant. 2.° ejusmodi therapeutici agentes morbosis conditionibus e regione semper opponuntur, cum languoris, sive Controstimuli morbis adversentur *tonici*; cumque in iis in quibus *phlogosis* est controstimulantia, sive deprimentia adhibenda sint. 3.° Omnes hae denique therapeuticae agendi rationes nihil aliud prorsus efficiunt, nisi ut diversos artificiales morbos, ac proinde symptomata morbis jam existentibus opposita producant. Contraria enim contrariis. Homoeopathia autem